



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Exhortationes|| Ad|| Religiosos

Dirckinck, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1704

1. De examine conscientiaë quotidiano. Thema. Scrutemur vias nostras, & quaramus & revertamur ad Dominum. Thren. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51834)

## REGULA VI. SUMMARI

De Examine, Confessione &amp; Communione.

EXHORTATIO I.  
IN REGULAM VI. SUMMARI.

Docet modum examinandi conscientiam.

T H E M A.

*Scrutemur vias nostras & queramus, & revertamur  
ad Dominum. Threnorum 3. 40.*

V E L

EX REGULA VI.



Ratia voca-  
tionis nostra si-  
milis est Ar-  
changelo Ra-  
phaeli, qui ju-  
niorem Tobiam  
per omnes pere-  
grinationis suae  
vias salvum atque incolumem dedu-  
xit & reduxit, quique ei dedit 1. fel  
piscis, quo parentis caeci oculos ape-  
ruit; & hoc felle denotatur examen  
conscientiae, quod primo loco in hac  
regula praescribitur. 2. Deinde docuit  
eum corda piscis damonem fugare, quo  
significatur confessio sacramentalis,  
quae alterum est, quod in hac reg. 6.  
mandatur. 3. Piscis carnes eidem come-  
dendas tribuit, quo indicatur sacra  
communio, quae tertium est, quod in  
hac regula exigitur. Nunc in primis  
agemus de examine conscientiae: quid  
verò hoc aliud est, nisi fel piscis con-  
servatum, & tanquam efficax reme-  
dium cecitati nostrae adhibendum?  
ed enim dirigitur illud, ut nosmet ip-  
sos probè cognoscamus, defectuum  
nostrorum displicentiam in nobis ex-  
citemus, & in amaritudine animae eos  
detestemur. Si enim nunquam con-  
scientiae nostrae latebras discuteremus;  
ed paulatim dilaberemur, ut defectus  
quantumvis magnos non sentiremus,  
aut curaremur, multo minùs emenda-  
remus; atque ita in peccatorum for-  
dibus perseveraremur.

• Ostendam itaque, quomodo hoc  
perfectionis praestantissimum medium  
à S. P. N. praescriptum, & à gratia vo-  
cationis tanquam à Raphaële nobis  
communicatum, adhibere oporteat, ut  
duos effectus fellis Tobiae, in nobis  
operetur & 1. oculos aperiat, 2. mor-  
dicet, atque amaritudinem causet,  
quae primariae examinis partes cen-  
sentur.

I. Nolu-

I. Nolumus detinere nos in laude  
 examinis conscientiae, prolixè satis à  
 S. Chrysolomo, S. Basilio, S. Bernar-  
 do, S. Bonaventura aliisque SS. PP.  
 commendati, imò & à Seneca. Pytha-  
 gora, & Echnicis alijs laudati. Ut ve-  
 niamus ad methodum quinque puncta  
 complectentem.

Primum est gratiarum actio pro be-  
 neficiis illo die, totaque vitâ à Deo ac-  
 ceptis, quo nihil Deo gratius, nobis-  
 que ad nova beneficia obtinenda uti-  
 lius: unde Apostolus suadebat 2.  
 Thess. 1. 3. *Gratias agere debemus  
 semper.* Et iterum 1. Thess. 5. 18. *In  
 omnibus gratias agite.* Hinc Veteres  
 semper in ore habebant: *Deo gratias,*  
 pro beneficiis corporis & animæ, na-  
 turalibus & supernaturalibus. Sed in  
 primis nobis gratia sunt agenda, pro  
 incomparabili vocationis beneficio:  
 magnum beneficium est creatio, mag-  
 num redemptio: at quid utrumque  
 profuisset, si relictus in sæculo iniustis  
 latam viam, cum multis ad perditio-  
 nem æternam? quare binis indies vi-  
 cibus, minimum grates Deo refera-  
 mus, pro tam eximio beneficio. S. Au-  
 gustinus super illud: *Non sicut Deum  
 glorificaverunt, aut gratias egerunt*  
 Roman. 1. ait: *Quod Deus dederat  
 gratis, tulit ingratis: non est dignus  
 donans, qui agit grates de datis.* S.  
 Bernardus ferm. 57. in Cant. *Ingrati-  
 tudo est ventus urens, siccat sibi fon-  
 tem pietatis.* Necessarium ergo est illi,  
 ait Humbertus, in Instit. vit. spir. c. 1.  
 quem misericordia Dei de sæculo edu-  
 xit; ut magnitudinem gratiæ, quam  
 accepit, agnoscat, & frequenter de ea

gratias referat Deo; ut sic gratiam  
 acceptam custodiat, & receptione al-  
 terius gratiæ dignus existat. Ad locum  
 unde exeunt flumina (gratiarum) re-  
 vertuntur; ut iterum fluant. Cum e-  
 duxisset Dominus filios Israel de Æ-  
 gypto, in qua graviter premebantur;  
 voluit eos tantum beneficium in jugi  
 habere memoria; dicens eis: *Me-  
 mentote diei hujus, quâ egressi estis ex  
 Ægypto:* & sæpe eis hoc beneficium  
 in memoriam reducebat: *Ego sum  
 Dominus Deus tuus, qui eduxi te de  
 terra Ægypti.* Non minus beneficium  
 esteductio de sæculo, per religionis in-  
 gressum,eductioe corporali ex Ægy-  
 pro: cum vita mundana major sit fer-  
 vitus. Igitur pro tanto beneficio  
*Gratias agere debemus semper.* L. c.

Secundum punctum est petitio lu-  
 minis: quia non rarò cæci sumus in  
 propriis defectibus agnoscendis, sæpe  
 etiam passionibus obscuratur cor no-  
 strum, ut virtutem existimemus, quod  
 vitium est; proinde jere à Deo lumen  
 poscimus: præsertim cum contritio  
 donum Dei sit, quod habere ex no-  
 bis nequimus: *Omne datum optimum  
 & omne donum perfectum de sursum est,  
 descendens à Patre luminum.* Jacobi  
 1. 17.

Atque hæc duæ primæ partes exami-  
 nis, sunt veluti ingressus, dispositio  
 ac præludia.

Tertium punctum est ipsa exami-  
 natio, quæ sicut fel salubre, oculos  
 mentis nobis aperit, de qua dixit Jere-  
 mias Propheta: *Scrutemur vias no-  
 stras, & quæramus, & revertemur ad  
 Dominum.* Thren. 3. 40. Quid est  
 aliud

Aa 2

aliud *Vias nostras scrutari*, nisi mores, affectus, opera, verba, & cogitationes indagare & discutere? quid est *Quarere*, nisi eadem, qualia sint, bona, an mala, perfecta, an imperfecta, Deo grata, an inuisa per examen investigare: ut inventa malitia & pravitate, per contritionem & penitentiam illam deleamus, atque ita ad Dominum Deum revertamur?

Hoc examen est veluti regula seu amussis, qua operum rectitudinem aut curvitatē dignoscimus: sicut enim saepe putamus nos lineas rectas duxisse aut scripsisse, at applicatā regulā, tortuosas & curvas esse deprehendimus; ita pariter in via spiritus, saepe aberramus, & curvum rectum, atque rectum curvum erroneè judicamus. Quemadmodum igitur artificibus regulā opus est, ita & nobis. Hoc examen est quoque veluti scopa, quae ex omnibus angulis sordes peccatorum educit, colligit, & quasi in unum cumulum congerit, ut postea per contritionem & confessionem foras ejiciatur, & a nostra domo mundaetur.

II.  
Discussio  
delectu.

II. *Scrutemur vias nostras, & quaramus.* Juxta institutum nostrum duae viae sunt: Prima est perfectionis propria, quam institutum exigit. Altera perfectionis proximorum, quam pariter institutum requirit. Utraque via nobis scrutanda est. Et quidem in prima via personales errores sunt examinandi, qui ad triplicem ordinem reduci possunt: Ut enim qui in itinere aliquo versatur, tripliciter deficere potest; vel quia per devia aberrans, longius etiam recedit à termino ac re-

trogreditur, vel quia in ipsa via, hic & illic moratur, nec progreditur, sed haeret ac progredi cessat; vel quia à commensatu necessario, omnique perfectionis apparatu malè instructus est; unde aut omnino non progredi, aut certè non satis celeriter queat.

Ita simile quid in via perfectionis usvenit.

Primi generis defectus sunt, peccata omnia, quocumque nomine censeantur; omnia enim illa sunt devia, quibus à fine & perfectione retrocedimus. Hic ergo *Scrutemur vias nostras, & quaramus*, quomodo à fine & perfectione recesserimus, an acediā, iracundiā, animi elatione, & vanā gloriā, an sensualitatibus &c. Ubi etiam ipsas radices scrutari oportet, ut nos penitus cognoscamus.

Secundi generis defectus sunt, in ipsa virtutum solidarum & perfectarum, quas institutum à nobis requirit, consideratione, ubi *Scrutemur & quaramus*, quàm longè subinde retrolabamur, & quantum adhuc distemus à culmine & perfectione solidarum virtutum: v. g. quàm longè absumus à continua mortificatione, quam Regula 12. exigit: à sincera intentione, etiam circa omnes res particulares; quam Regula 17. requirit: à paupertate, ut matre diligenda, ab angelica castitate, à modestia, obedientia caeca &c.

Tertij generis defectus sunt, in omnibus iis omissionibus, quae circa ipsa media Societatis nostrae, quibus ad omnem perfectionem consequendam nos instruit, committuntur. Omnia enim

enim hæc media sunt veluti commea-  
turus, & adjuncta itineris spiritu-  
alis, ad culmen montis perfectionis,  
& quidem efficacissima. *Scrutemur*  
igitur & *quæramus*, quomodo utamur  
meditatione, oratione, concione,  
examine, sacrificio Missæ, instructio-  
ne, lectione librorum spiritualium.

Similiter in altera via, quoad salu-  
tem & perfectionem proximorum,  
*Scrutemur vias nostras & quæramus*.  
Hic rursus triplex ordo examinan-  
dus: ut enim negotiator quis tripli-  
ci ex capite deficere potest, quò mi-  
nus lucrum faciat quàm maximum  
1. vel quia mercatus aut nundinas ne-  
gligit; id est occasionem & locum lu-  
crandi: vel quia non omnes merces  
tractet, quas posset tractare nundinan-  
do; vel quia non omnia talenta & fa-  
cultates suas negotiationi applicet,  
quas fructuosè posset: Ita simile quid  
est in negotiatione spirituali: verè e-  
nim negotiatores sumus, quibus di-  
ctum est: *Negotiamini dum venio*. Lu-  
cæ 19. Tot autem mercatus habemus  
commoditates, quot animas proximo-  
rum nobis propositas: tot genera  
mercium spiritualium; quot vel opera  
bona sunt, ad quæ incitare proximum  
possumus; aut vitia à quibus revoca-  
re, aut exercitia supererogationis &  
perfectionis in quibus eum perficere  
valemus. Tot denique sunt talenta;  
quot media in Societate habemus effi-  
cacissima ad proximos juvandos. Cir-  
ca singula ergo examinando *scrute-  
mur, & quæramus* quantum defecerim-  
us; aut in quo: v. g. concionator  
circa auditores, magister erga discipu-

los, Superior erga subditos, confessa-  
rius erga pœnitentes, an ad bona in-  
citarint, an à malo revocarint, an, ut  
par est, perficere laborarint. Sic pari-  
ter *scrutemur, & quæramus*, exami-  
nando media, ut sunt Sacramenta,  
conciones, missiones, catechismi &c.

Et hoc est *scrutari vias suas & quæ-  
rere*, quomodo à regulis deflexerimus  
seu à gloria Dei, à voluntate Dei. ab  
imitatione Christi, quæ una quasi re-  
gula est, omnium aliarum, compen-  
dium, deviaverimus. Atque his tribus  
partibus, medius tantum quadraus  
dandus est.

III. *Et revertamur ad Dominum.*  
Ubi examen tanquam fel oculos ape-  
ruerit, ut viderimus defectus nostros;  
gustare debemus fellis amaritudinem,  
id est, elicere dolorem, & facere pro-  
positum emendationis. Sic idem Pro-  
pheta Jeremias ait: *postquam eum con-  
vertisti me, egi pœnitentiam* (gratiâ tuâ  
adjuvante & præveniente: & *Post-  
quam ostendisti mihi, percussi femur  
meum* Jerem. 31. 19.

Quandiu homo non agnoscit pau-  
pertatem suam, eam non averfatur,  
& quandiu nescit infamiam suam, do-  
lore non commovetur; ita nos pari-  
ter: at *Postquam ostendisti mihi, præ  
dolore percussi femur meum, confusus  
sum & erubui, quoniam sustinui oppro-  
brium adolescentiæ meæ*. Puduit me  
probrosis adolescentiæ meæ affectibus  
fervivisse. Similiter alius Propheta  
ait: *Spiritus levavit me* (ad locum qui-  
etis, ubi defectus meos considerarem.)  
& *assumpsit me* (à curis terrenis, ut  
studerem me cognoscere & purgare à  
malis

III.  
Dolor &  
emenda-  
tionis pro-  
positum.

malis (& abii amarus in indignatione spiritus mei. Ezech. 7. 14. Ex cognitione fel amaritudinis, dolor & indignatio spiritus profluxit. Et manus Domini erat mecum, confortans me, Ecce fiducia & propositum emendationis, cum Dei ope & gratia.

Amaror ergo & dolor nascitur ex cognitione peccatorum: *Amarum est reliquisse Dominum.* 1. Dum igitur considero Divinam justitiam, quã peccata castigavit, etiam venialia, in Davide, Ezechia, Oza: *Erubui, percussi femur, abii amarus.* 2. Dum considero quantum per peccata amiserim: nam etsi duntaxat venialia sint; impediunt tamen aliquamdiu ab ingressu cœlesti, & dejiciunt ad ignem purgatorii. 3. Minuunt fervorem charitatis, animùmque disponunt ad alios graviores defectus & vitia: nam unum peccatum viam sternit ad alia. 4. Considerando quanta sit nostra ignavia & ignorantia, quanta debilitas, quanta difficultas redeundi ad statum, in quo antè fuimus, *Erubui, abii amarus.*

Denique requiritur propositum firmissimum emendationis & prœvidenda media, quibus deinceps prœservemur; ut est Dei præsencia: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear,* & denuò succumbam Psal. 17. Et vigilia; sicut enim qui an-

bulando portat vas vitreum pretioso liquore plenum cautè attendit, ita nos in vase fragili liquorem gratiæ portantés, ne effluat, cautè ambulemus.

Hæc autem conscientiaë discussio maximas parit homini utilitates. 1. Dum vitia non solum detegit, & ad eorundem dolorem, sed & ad propositum emendationis accendit, atque etiam ad pugnam animat, ut ea, quibus subdebatur, vitia prosternat. 2. Utilis quoque est ad virtutes inferendas, præsertim cognitionem sui & humilitatem. 3. Instrumentum est altissimum ad omnia opera exactè obedienda. 4. Plurimum juvat ad puritatem animæ, omnemque perfectionem consequendam.

Quapropter, Charissimi, hoc tam præstans & efficax medium magnã diligentiaë indies usurpemus, ferventer gratias agamus, lumen devotè efflagitemus, exactè peccata & circa nos & circa proximos commissa discutiamus. *Scrutemur & quaramus,* amaritudinem fellis & dolorem degustemus, atque ita fructus uberimos examinis percipiemus, quod si verò id neglexerimus, post multorum annorum decursum iidem, imò pluribus defectibus & delictis nos quàm antè irretitos, ex defectu accurati examinis deprehendemus.



EXHO R.